Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1607
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 249. ut e calce adſumo: *Tractatus de pluralitate beneficiorum Domini Wilhelmi Pariſienſis.* Initium: *Umbram vehemoth ſicut ſcriptum eſt Job XL° vmbre protegunt. — Vmbra iſta eſt detencio ſiue occupatio iniqua beneficiorum ſiue redituum eccleſiaſticorum* &c. Inter tot *Wilhelmos, Guilielmos, Guilhermos, Guillerinos* praeſens noſter *Arvernus* eſt, ab a. 1228. ad 1249. Antiſtes *Pariſinus* Scriptis clarus, quae mature prelo ſubjecta extant. Tractatus noſtri, qui alias *de collatione et pluralitate beneficiorum* inſcribitur, memoratur apud *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. VII. editio *Pariſ.* 1490. 4. Mihi adjacet *Knoblouchiana Argent.* 1507. 4. quam curavit ἐυζηλος noſter *Jac. Wimphelingius*, unde ſuſpectam habeo ejusdem Officinae editionem 1500. 8. citatam in *Biblioth. Heilsbron. Hockeri.* Mea praeter Tractatum *de Beneficiis* nihil *Guilelmi* continet, unde lapſus eſt *Hambergerus* fide *Fabricii* eam uberiorem putando, lapſus item *Barth. Ferronius*, qui in edit. *Aurelian.* 1674. f. primum ſe Opuſculi noſtri promulgatorem credidit. Codex in calce habet: *Finitus per M. Wolfgangum de Stain ſacre theologie baccalarium. Anno Domini 1438° in die ſancti Wilibaldi que fuit feria 2ª in profeſto Kyliani.*

VI. *fol.* 273. Prolufio ſcholaſtica *de laudibus Theologiae* in Expoſitionem *Libri Esdrae*, cujus N. II. memini. *Inpreſenciarum conſtitutus*, infit Orator, *opusque arduum vires ſuperans attemptaturus* &c. Nubes et inania captat. Ad calcem: *Feria 2ª poſt Nativitatem b. v. Anno 37mo.*

VII. *fol.* 285. *Geneſeos* et *Exodi* Curſoria Expoſitio, cujus Autor *Nicolao de Lira* ſe uti profitetur, hiatuque majore, quam praecedens, inchoat: *Omnis fontana boni, ſtelliferi conditor orbis tantillo propiciatus aſſis* &c. Ad calcem: *Finitum in die chriſtophori feria 4.*

VIII. *fol.* 321. *Opuſculum Magiſtri Johannis de Gerſona Cancellarij Pariſienſis Super Cantica canticorum ad Karthuſienſes ſecundum triplicem amorem Diſtinctum per decem ſimpſalmata ſecundum particiones atque conſideraciones eorundem ſecundum nouum modum. Et eſt opus multum ſubtile et altum valens pro deuotis contemplantibus.* Initium: *Amo te ſacer ordo kartuſienſis* &c. ut edit. *ſupracit.* T. IV. *col.* 27. Ad calcem iterum diligens Scriptor noſter: *Finitus eſt tractatus hic — Anno domini M° CCCC° 39° feria 2ª poſt Letare per Magiſtrum Wolfgangum de Stain* &c.

IX. *fol.* 368. p. 2. CLXXX. *epiſtole Auguſtini.* Index Perſonarum, ad quas datae, cum breviſſimis Argumentis.

X. *fol.* 373. ἀδεσποτως *Job. Gerſonis Opuſculum tripartitum de Praeceptis, de Confeſſione, de Scientia Mortis*, quod incipit: *Chriſtianitati ſuus qualiscunque zelator* &c. et habetur edit. *ſupracit.* T. I. P. III. *col.* 427.

XI.